

Nf. 112.



DISPUTATIO THEO-
LOGICA SCRIPTURARIA,

6

Pro
Examine Sancti Ministerii,

De

SALITIONE

Per

IGNEM.

Ad

LOCUM ILLUSTRUM, Marci IX, 49.

πας γαρ πυρ αλιθνηεται.

Quam S. O.

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO DOMINO
HENRICO JACOBO

van BASHVYSEN,

S. S. Th. D. ejusdemque & Philol. Sacræ in Illustr.
Gymn. Hanov. Profess. Ord.

Regiæ Maj. Boruffiæ Soc. Scient. Berol. Socio, h. t. R. e. & Magnifico,
Defender

JOHANNES JUSTUS Schüz/

Hanovienfis, Candidandus, AUCTOR.

Ante diem XI. Julii MDCCXIV. hora 11. Pomeridiana.

In Auditorio Majore.

HANOVIAE, Typis Johannis Jacobi Beaufang, Typographi.

DEDICATIO
VIR. NOBILISSIMO & CONSULTISSIMO
DOMINO

ISAACO von dem FELDE,
Juris-Consulto Excellentissimo & Camerae
Hanoviae DIRECTORI Meritissimo.

UT ET
VIRO PLURIMUM REVERENDO
& DOCTISSIMO
DOMINO

JOHANNI PETRO
van den VELDEN,
Seniori Ecclesiae Neo-Hanov. Belgicae Ministro
Gravissimo.

ET VIRO SPECTATISSIMO
DOMINO JACOBO
HESTERMAN,

Mercatori Hanov. Florentissimo, & Eccles. Ref.
Gall. Diacono.

*Fautoribus & Patronis optime de se meritis,
S. P. D.*

Johannes Justus Schick/
Auctor & Respondens.

DEDICATIO.

Ignoscite Viri MECOENATES quod honoratissimis nominibus vestris hanc dissertationem ornare susceperim; quia enim me ex Belgio reducem tam benevole excepistis, & quasi in sinu Vestro fovistis, non mirum quod etiam proximā occasionem arripuerim publice hoc beneficiū deprædicandi.

Inprimis autem Tibi Excellentissime, DN. von dem FELDE, Camerae Hanoviae Director dignissime, hic foetus debetur, quia in domo Tua conceptus, & inter colloquia Tua Theologico-Physica, quibus non raro cum magno *sale*, *sal* domesticum miscuisti, Eruilitissimis Sermonibus de *sale* ejusque usu Physico, cogitans etiam de mysterio illius, in qua colloquia Te incidisse, nemo mirabitur, nisi qui in Patria nostra hospes plane sit, nam in vulgus notum est, quam egregie præclaris *SERENISSIMI NOSTRI* conatibus, in augenda celebri illa salis compositione Patriæ nostræ, in vico *Nauheim*, nomine & amoenitate illi sacro N. T. scriptoribus in *Palæstina* non absimili, opem tuleris, ut fidelem decet, Camerarium, qualem in omnibus Te hæcenus præstitisti, quod testatur ipse ille gradus quem Tibi hac propter concessit is, qui *caput*, *corona*, & *sal* Patriæ nostræ est, & utinam maneat ad feros usque nepotes. Tibi vero Venerande senex, pariter hoc officium debeo, cum non tantum sis *sal* terræ, mihi & ipsis Præceptoribus meis, *Cl. Rhenferdio* & *Bashuyso*, propter studia, Linguarum Hebr. Græcæ & Latinæ, quæ illi nimium quantum amant, Venerabilis, sed etiam absenti *sal* sapientiæ quærenti auxilium & opem tuleris, atque etiam *Cl. Præses*, Tibi magis, quam sibi ipsi hoc opusculum dedicari cupiverit, ut ita simul testatum faceret, quantopere ex præcepto Salomonis Venerabilem canitiem, & Patris optimi Collegam veneratione. Tandem nec immemor esse poteram propensæ Tuæ Spectatissimè *Hestermanne*, erga me voluntatis, de qua ob modestiam Tuam singularem nihil dicere attinet.

Accipite igitur serena fronte hanc Dedicationem, & vivite adhuc diu, DEO, Patri Patriæ, Ecclesiæ, omnibus denique bonis, & mihi porro favete, & contra malos sicubi opus sit protegite, & Valet, cum omnibus qui à vestro nomine denominantur.

Dabam Hanov. a. d. XI. Julii, 1714.

JU.

JUVENI ORNATISSIMO

Dn. JOHAN. JUSTO Schüz/

Ex Decreto Senatus Ecclesiastici Hanovienſis, pro Examine
S. Miniſterii Diſputanti,

S. P. D.

H. J. van BASHVYSEN,

Diſputatorii Actus Moderator.

ITa ſemper exiſtumavi duorum generum Candidatos inveniri, Mercenarios, qui mercedis cauſa Eccleſia inſervire cupiunt, & etiam veros Jeſu Chriſti ſervos, hosque digno ſci ab illis, non vultu, & geſtibus ad pietatem compoſitis, ſed ſine diverſo; Cum enim hi ipſi ſint Hermeneutæ, id eſt fontes ipſos adire cupiant, hoc eſt Philologi audiant, illi ſatis habent aliquid dixiſſe, & tantum ex ſyſtemate excerpſiſſe quantum ſufficit, ad titillandas & perfricandas plebis aures, unde non Exegetæ ſed Practici dici cupiunt, bonum nomen, ſi verus Practicus non deberet eſſe Hermeneutes, id enim mihi non eſt eſſe Hermeneuten, ſimpliciter exſcribere verba Patrum, Scholaſticorum, Reformatorum, vel etiam Novorum Auctorum, quorum ex Belgio integra ad nos plaſtra feruntur, ſed videre propriis oculis, ſubtem de veritate vel falſitate novorum & veterum recte judicare poſſe, quo non niſi illi deveniunt, qui Mathematica Philologia principia non leviter deguſtarunt quorum adeo nulla ætas à Romana, Græca, Hebraicæ; veritate abhorruit, ut verbis utar Rhenferdii noſtri, merito in ipſo limine Diſſertationis tuæ laudatæ, licet paululum mutatis. Hoc eſt, quod ex Magno hoſpiti & Præceptore tuo modo nominato Profefſore dum viveret Academia Celeberrimæ Franequeranæ Clarifſimo, hauſiſti, atque antequam à me diſcederes, tibi à me ſincere commendatum fuit, atque p. d. etiam Cl. Vitringa, Gurlerus, Wayenius, Andala, Coetierius, Boſſius, ſuo calculo approbarunt. Atque hocce monitum in te locum habuiſſe, oſtendit, tuæ Diſſ. de Salis apud Antiquos in omnibus præcipue ignitis ſacrificiis uſu, refer ante locum difficilem Marc. 9. 49. quæ nec tale caret eruditionis & NB. pietatis, ſic Philologia ad omnia utilis eſt. Utinam tuo exemplo etiam alii excitarentur, ſic Theologia Regiæ quidem ſed aliarum diſciplinarum opem poſulanti ita operam darent, ut non obliſcerentur eorum quæ ei facem accendunt, utinam Proceres talibus auxilio eſſent, alios verò teſtimonio Philologorum caſſos depellerent à ſuggeſtu, ſic brevi alius ſtatus Academiæ & Eccleſiarum foret; Forſinet autem Deus porro greſſus tuos in Domino Amen.

DI-

Dabam Hanov. a. d. XI. Julii, 1714.



DISPUTATIO THEOLOGICA
SCRIPTURARIA.

De

SALITIONE

per

IGNEM.

Argumentum.

§. I.

Usus Philologiae in sacris ostenditur.
2. Notatis erroribus eorum qui sine
Philologia sacris manus adhibue-
runt, cum transitu ad materiam propositā
& ejusdem divisione. 3. Exponitur quid sit
sal? 4. Qua occasione de qualitate parti-
cularum salis nonnulla adduntur. 5. Usus
ejus apud veteres, in primis Hebræos in Sa-
crificiis & oblationibus. 6. Quos imitati

A

sunt

sunt Gentiles. 7. Ejus usus in ruina urbium. 8. Usus in fecundandis agris. 9. Unde deciditur questio Veterum an sal sterile reddat vel fecundum. 10. Addita nostra sententia de hac questione. 11. Ultimus usus salis in foederibus pangendis, & notanda amicitia. 12. Unde usus salis in mensis fluxit, & de eo opinio. 13. Mysterium salis, illustrato loco Matth. V, 13. 14. Unde efficitur quid salis infatuatio sit, Matth. V, 13. Marci IX, 50. &c. 15. Transitus ad salem ignitum nostri textus Marc, IX, 49. 16. Usus ad pietatem. 17. Elenchus Pontificiorum qui magnifice nimis de naturali sale sentiunt.

§. 1.

Usus Philologiae in sacris ostenditur. **E**X quo tempore mihi licuit in studiis frui opera & consilio Viri longe Eruditissimi Jacobi Rhenferdii prof. ex. tois. regior. xxi. a. 1705. Antiquitatum & Literarum Sacrarum Professoris praestantissimi, cujus famam invidia nunquam opprimeret, didici nihil Philologiae studio esse utilius, quippe sine quo nulla scientia pertractari, rerumque variarum nulla notitia accquiri poterit, sine quo nullus admiranda naturae, historias, antiquitates, linguas, inventa homi-

hominum, locutiones & proverbia, nomina & voces, partium orationis structuras aut recte usurpabit, aut usurpatas vel in sacris vel in profanis libris intel- liget, & sine quo nullus unquam versionum verita- tem rite cognosceret; adeo ut si quis tollat Philologiam, sustulisset mihi videatur omnis eruditionis penum.

Porro, cum certissimum sit Philologiam habe- re sua *vestimenta* quæ dependent ab ejus fine, qui potis- simum spectatur in utilitate, quam cæteris scientiis præbet, & res singulas Philologiæ subjectas habere suas, ut ita dicam, affectiones, & posse circa illas in- stitui Analyticas quæstiones, animadverti magnum ab eo requiri judicium, qui vel integre vult tracta- re Philologiam, vel aliquid ejus, vel aliqua ex ea, ut singula recte doceat, & quæque suo loco proponat, unum ex altero rite deducat, nec quicquam facile contra methodum committat, imo ne plus aut minus tribuat demonstrationibus Philologicis, quam oportet. Hinc illi mihi semper visi sunt errare, qui *αμείβομαι* ac confuse in pertractandis materiis Philologicis ver- santur; & illi qui non recta ratione prout *πεπραδουμένως* decet, de materiis Philologicis judicant: Qui ipsi sæpe nesciunt, quomodo sua tractant; multum ver- borum, parum eruditionis habentes; aut si quid eruditionis habent, non tamen ex solidis rationibus conglutinatum est.

§. 2. Inter hos quodammodo referendos arbi- *Nota-*
tror Viros in nonnullis aliis rebus satis Eruditos, qui *tis er-*
ad dissolvendam controversiam, quæ jam dudum *roribus*
agitata fuit ad locum *Marci cap. IX, 49.* diversas sen- *eorum*
ten- *qui sine*
Philo-

logia tentias ausi fuerunt pronunciare. Me nihil temere
sacris heic affirmasse ut quivis agnoscat, hanc dissertationem
manus examinandam exhibere volui, inductus studio verita-
adbi- tis, & imprimis exhortatione Viri Clarissimi & Præ-
buerūt ceptoris mei debito honore digni *Henrici Jacobi van*
cum *Bashuyfen*, in qua hanc operam dabo, ut manifesta ac
transi- solida proponantur argumenta & quæ subductis ratio-
tu ad nibus puravi esse validissima ad stabilendum Hebræ-
materi- orum Riturum, *de sacrificiis & fertis &c. salientis*, &
ampro- ostendendum quantum lucem hic ritus affundat loco
positā allegato, in quo & ipsi homines igne salienti pro-
& eius- ponuntur: qua propter ordinis causa ostendam,
dem di- **¶** Quid sit sal. **¶** Quis ejus usus fuerit olim in sa-
visione. crificiis & fertis ac ruinis urbium. **¶** Denique quid
 hæc significaverint exponam. **¶** Tandem quid spe-
 cialissime in textu nostro sit quod & ipsi homines igne
 salienti sint declarabo.

Expo- §. 3. **¶** Sal est optimum & nobilissimum con-
nitur dimentum, unde Veteres bene dixerunt: Quod in
quid sit humana vita nihil sit utilius quam *Sol & Sal*. Theo-
Sal. phrastus Paracelsus Princeps Medicorum suo tempo-
 re *Sal nominat naturale Balsamum omnium corporum*,
 quia non solum quotidianæ necessitati sed etiam salu-
 ti inserviat. Quem usum vero sal porro in Medici-
 na habeat, hoc relinquimus Physicis ac Medicis.

Qua §. 4. Quod ad qualitatem *salis* spectat, non mi-
occasio- randum est illud habere particulas pungentes, unde
ne de nascitur sapor pungens & penetrans multum differens
quali- ab eo aquæ dulcis; cum enim non possint à mate-
tate ria subtili, quæ illas circumjacet inflecti, necesse est
parti- ut

utin cuspides erectæ & telorum instar vibratæ, ^{lin-}cularæ
 quæ poros ingrediantur, atque ita penetrent satis al-^{salis no}
 te ad illam pungendam : cum è contra partes aquæ ^{nulla}
 dulcis molliter supra illam fluitantes, & semper in-^{addun-}
 latera jacentes, ob facilitatem qua flectuntur vix gustu
 possint sentiri. Et particulæ salis ita punctim ingressæ
 poros carnum, quæ eo condiri solent ut asserven-
 tur, non modo humiditatem tollunt, sed etiam sunt
 instar paxillorum hic illic inter earum partes defixo-
 rum ubi immoti & non cedentes illas sustinent, &
 impediunt ne aliæ magis lubricæ seu plicatiles immix-
 tæ, illas concutientes, loco moveant, atque ita
 corrumpant corpus quod componunt. Hinc etiam
 carnes salitæ successione temporis magis indurescunt ;
 quas alioqui partes aquæ dulcis, se infectendo, at-
 que huc illuc poris earum illabendo, facile emolli-
 rent & corrumperent. Hinc statuimus aquam falsam
 esse graviorem quam dulcis, & nihilominus salis gra-
 na in aquæ marinæ superficie formantur, quod fit
 ob majorem particularum agitationem in aqua falsa
 quam in dulci ; ut recte Nobil. & Philosophorum
 optimus R. de Cartes testatur.

Possèmus etiam aliquid tradere de humiditate, cur
sal tam facile per eam solvatur : & cur in certa aquæ
 dulcis quantitate certa tantum ejus quantitas liquecat,
 & quare aqua marina pellucidior sit fluviatili, &
 paulo major in ea fiat luminis refractio : sed hoc
 missum faciemus Philosophis

§. 5. ¶ Quia vero tantæ utilitatis *sal* esse depre-
 henditur, non mirum est, ejus usum celebrem evasisse
 A 3 Usus
ejus a-
pud Ve-
eres.

impro- apud Veteres. Nam primo Hebræi in omnibus sa-
bris *He-* crificiis & oblationibus eo utebantur, ut recte locus
in sacri- noster Marci IX, 45. habet, quando Christus, inquit,
ficiis & *pas* *γὰρ* *πῦρ* *ἀλιθύνεται*, *Omnis* (homo) (uti interpre-
oblationibus. *ται* *πᾶσα* *θυσία* *ἀλι* *ἀλιθύνεται* & *omnis* *victima* *sale* *salie-*
tur. Alii autem volunt, verba hæc esse ita explican-
da & *omnis* *victima* *sale* *salietur* per Hebraismum *ET*
pro *UT* exponentes, ut sensus ita sit, *ut* *omnis* *victi-*
ma *sale* *condiri* (solebat, q. d. quemadmodum olim
sine *sale* *nulla* *hostia* *Deo* *accepta* *erat, sic* *sine* *tribulatione*
nemo *Deo* *gratus* *est.*

Ergo videtur hic, Christus ad illum locum qui
 reperitur in libro Leviticorum, Cap. II, 13. maxime
 allussisse, ubi Deus in Lege expressis verbis popu-
 lo Israëlítico per Mosen præceperat dicendo,

וכל קרבן מנחתך במלח תמלח ולי
 תשבית מלח ברית אלהך מעל מנחתך
 על כל קרבנך תקריב מלח: verba latina

sic se habent, *omnem* *autem* *oblationem* *muneris* *tui* *salito;*
neque *cessare* *sinito* (*alem* *fæderis* *Dei* *tui, de* *super* *munere*
tuo *cum* *omni* *oblatione* *tua* *offeres* *sal.* Cujus rei ratio vi-
 detur quod, quemadmodum *sal* *cibos* & *coetera, grata*
reddebat, ita quoque *sacrificia* & *oblationes* *sale* *asper-*
sa *grata* *reddebantur* *Deo* & ita nullum *sacrificium,*
nulla *oblatio* *sine* *sale* *peragi* *potuit;* adeoque *omnia*
sacrificia & *feræ* *cujuscunque* *generis* *etiam* *fiunt, sale*
 con-

consperebantur , ad significandum secundum literam uti sal aliquid à corruptione & putredine conservat & ea quæ eo condiuntur corroborat , ita quoque illo conservari illam legem, illumque ritum ceremonialem.

§. 6. Quod ipsum etiam imitati sunt gentes, Quos qui non minus in sacrificiis & oblationibus *sale* utebantur quare *sal* θεοφιλεστων Diis charissimum vocavit Plato , & notæ *mola salsa*, & *salsa fruges*, Veterum, unde licet *sal τῶν ἄλλων ὀσίων ὀσίων*, sit aliorum condimentorum condimentum, teste Plut. ejus (ait) Plinius maximè tamen in sacris intelligitur auctoritas, quando nulla consiuntur sine mola salsa. l. 31. c. 7. Hinc Sinon fingens, se destinatum aræ, sic apparatus describit sacrificii 2. Æneid.

Jamque dies infanda aderat mihi, sacra parari,

Et salsa fruges.

Ad quæ verba Servius. *Salsa fruges, Sal & Far quod dicitur in la salsa, qua & frons victimæ & foci aspergebantur & cultri.* Vide sis etiam in Ovid. Fast. l. 1. v. 337.

Ante Deos homini quod conciliare valeret Far erat & puri lucida mica salis.

Quamobrem salinum inter vasa sacra; apud T. Livium l. 26. hærens in maxima difficultate populus Romanus aurum & argentum in publicum omnes conferre jussit & quibusdam tantum licuit, Salinum patellamque Deorum causa habere & Val. Max. l. 4. c. 4. C. Fabricium & L. Æmilium Papum Principes seculi sui habuisse, Patellam &

& Deorum Salinum conficitur. Sed Plin. l. 34. c. 12. testatur quod Fabricius bellicosos Imperatores *plus quam pateram & salinum ex argento habere vetabat*: ex quo ita patet usus salis in sacrificiis & oblationibus, uti Lex divina præcipue postulabat. Ubi autem notandum, quod quemadmodum Hebræorum fertis non raro accessit, Vinum & oleum, vel libamen, vid. Lev. II. & thus, quod ita Gentibus, apud quos fertum semper aderat sacrificiis, etiam adjuncta habebat, *oleum Vinum & thus* aliaque aromata etiam mel lege vetitum. Et inter aromata talia erant, *Cinnamum* vel *Cinnamomum*, *Casia*, *Myrrha*, *Crocus*, &c. Porphyrius; *ἡξέται πρῶτον ἀφ' ἑστίας τοῖς βραχίοις θεοῖς θυμῶν, ἔσμιξις, ἔδε κασιός καὶ λιβανότε κροκῶ μυχθῶτων ἀπαρχάς (πῶμαι γὰρ γένειος ὑστέρᾳ παρὰλυθῆναι καὶ πάντα)* Lib. II. *περὶ ἀποχ.* §. 5. Apud Æthiopes Cinnamum vel Cinnamomum cum Deo Assabino i. e. Sole dividebatur. Plinius H. N. Lib. 12. c. 19. Theophr. de plantis Lib. 19. c. 5. Ovid. ep. heroid. 16. v. 333.

*Adolebant cinnama flamme,
Cesaque sanguineam victima planget
humum.*

De Myrrha & unguentis vide Empedoclis versus apud Porphyrium: Lib. II. §. 21. Nam & Diis ungebantur. Prudentius Lib. I. contra Symm. v. 103.

*Saxa inlita ceris,
Viderat, unguentoque Lares humescere
nigros.*

Ti.

Tibullus lib. II. El. II. v. 5. s. scribit.

*Ipse suos genius adsit visurus honores
Cui decorent sanctas mollia fersa comas
Illius è puro distillent tempora nardo;
Atq; satur libo sit, madeatq; merò.*

Quia autem Hebræi etiam quædam fersa inungebant inde planè elucescit pientissimæ mulierculæ, resipiscientis Mariæ Magdalænæ bona intentio, pedes Christi ungentis. Luc. VII, 38. & alius Salvatorem nostrum ante passionem itidem nardo oblinientis, Matth. XXVI, 7. Marc. XIV, 3. & rursus Mariæ, Sororis Lazari, Collyrio similiter, & nardo pedes Christi delibutos reddentis Joh. XII, 3. quo ipso singulæ devotionem suam summam testatum ibant, ut opinatur Chrysofomus, vide Casaub. exerc. 14, sect. 12. adeoque ex his clarum est Christum etiam fuisse veram illam oblationem & victimam, Deo offerendam, & quam *salis* mentio non fiat in oblatione Christi, tamen adfuit, ut infra ostendemus.

Primum autem, inter aromata sacra locum habet *THUS*, unde pium, sacrum & votivum dicitur, Hebræis appellatur לִבְנָה à Rad. לִבַּן quod in hiph. הִלְבִּין *albuir*, Græcis λιβανῶν & λιβανωτός; Germanicè Weyhrauch / quasi fumus sanctus, vel odoramentum sacratum; Weihen / enim est sacrare, unde Kirchweihe / & Pontificiorum Weihwasser / Latinis dicitur *Thus*, quod quidam à *divo sacrificio* derivant: Quid autem *Thus* sit, satis describit Arnobius, *Nam [inquit] ne forte ignoretis quid, aut unde sit Thus istud? Viscum est,*

B

est,

est, ex corticibus profluens, ita ut ex amygdalo ceraso Lacrymabili destillatione coalescens &c. Lib. VII. Ejus vaporatio non solum inter προδουματα habebatur, quo Ovidius respicit.

Thura dabat primis & verba precantia flammis,
Lib. 9. Metam. v. 159. sed & in ipsis sacrificiis Lycus apud Plautum Pœn. II. 1.

*Dî illum infelicit omnes, qui post hunc diem.
Leno ullam Veneri unquam immolarit hostiam;
Quisve ullum Thuris granum sacrificaverit.*

Ovidius lib. 13. Metamorph. v. 636.

*Thure dato flammis, vinoque in thura profuso.
Caesarumq; boum fibris de more crematis.*

Arnobius. *Ac primum illud à vobis isto ipso querimus percontamurq; de Thure; unde, aut quo tempore nosse illud, aut scire poteritis; aut merito existimetis, aut esse Diis dandum, aut eorum acceptissimum voluntati;*
l. c. Inscriptio. *Ælia. Tryphosa. Jus. Sepulchri. Posterisque ejus. ollum. Magnam. item. Thus. Vinum. Far. & oleum. ad. sacra. privata. dedit.* Sed satis de hoc, cœtera legi possunt apud Authores, qui de Antiquitatibus scripserunt. De reliquis aromatibus res non est difficilis, sed cum paradoxum videri possët, quod diximus de melle, hinc videatur de eo, Tibullus L. I. El. VII. v. 53.

*Tibi, dum thuris honores,
Liba & Mopsopio dulcia mella feram,*
& Ovid. L. II. Fast. v. 652.

Porricit incisos filia parva favos.

§. 7. Urbium porrò ruinis inspergi soluit, ut ^{Ejus} fegetibus ferendis redderentur idonea de iisque dice- ^{usu in} retur, ut de Troja: ^{ruina} ^{urbis.}

Nunc seges est ubi Troja fuit.

Convenienter itaque sal inspergi poterat urbium ruinis, ut cultura eas destinari pateret, hocque sale defricarentur, ut uberiores proventus darent, cujus exemplum vide in sacris Jud. IX, 45. ubi Abimelech Sal feminavisse legitur super solum urbis Sichem à se vastata, ut alia exempla omittam.

§. 8. Præterquam autem quod adhibebatur ^{Ufus in} in ruinis urbium, etiam eo utebantur in agris ^{fœcun-} dandis, quemadmodum ex Aristotele probat Step- ^{dandis} hanus Morinus, Vir acri iudicio præditus, in Differta- ^{agris.} tione de Sale, quam accepimus postquam hanc disser- tationem jam meditati fuimus, quoque Lectorem nostrum remittimus.

§. 9. Quoniam autem cum Sal adhibebatur in ^{Unde de} ruinis urbium videtur denotasse sterilitatem loci, & ^{ciditur} in fœcundandis agris fertilitatem. Disputatum fuit ^{questio} olim, an fœcundet, vel sterile reddat? Sane Sodo- ^{Veteru} ma & Gomoræ tractus ob faldinem frugibus profe- ^{an Sal} rendis inidoneus fuisse creditur, & Theophrastus ^{sterile} de caulis plantarum, quærenti, quare cum plurimi ^{reddat} sint ^{vel fœ-} sapores, & cæteri omnes in plantis reperiantur, ^{fructibus,} & in eundem? ^{ut amarus, acerbus, acutus &c.} *οὐκ ἔστιν ἄλλο οὐδὲν ἢ τὸν φεομενον ἀλκμον*
verè salis autem nequaquam? ^{ἢ δὲν γὰρ τὸν φεομενον ἀλκμον} nihil enim in genere plantarum salis percipitur, nempe ita ut in se talem habeat saporem, sunt enim quorum sum mam partem duntaxat salisgo quadam obducit, & statim

addit responsum : *Causa quod salsum nullam alimoniam, nullam generationem prestare potest, cuius dicit signum esse, quod in locis salis nihil nascatur, vel ex dulcedine, unde pisces in mari nati dulces; Illud enim ex quo aliquid fieri debet commutabile esse necesse est; Salsum autem est impassibile, & incommutabile quamobrem nihil ex eo est perfectum, nec potest generari.* Plutarchus quoque scribens de naturalibus eandem agit questionem. *Qui sit cum sint octo species saporum solum salsum videmus in nullo fructu nasci, sed pariter respondet, forte quia non producit salsum sapor, sed salsum sit corruptio aliorum saporum, vel saltem alimentorum condimentum, nullum alimentum suppeditans, & in excrementa abiens, quare extremitatibus quorundam fructuum & plantarum nonnunquam quadam infidet salsedo, ut de cicere &c. testatur Theophrastus.* Et Pausanias in Corinthiacis testatur Neptunum iratum *τοινυ ακαθρον την χωραν αδρμς εις τα σπερματα, και των φυτων της ελκας κελι-περμεις*, facere regiones infructuosas & steriles immisa *salsugine in sementes & arborum radices.* Plinius autem l. 31. c. 7. docet quod omnis locus in quo reperitur sal sterilis est, nihilq; gignit, Constat hinc natum proverbium *αλμυρον γειτομια* *salsuginosa vicinia.* Et sic Virg. 2. Georg. *Salsa autē tellus, & qua perhibetur amara Frugibus infelix, ea nec mansuescit arando*

Nec Baccho, genus aut pomis sua nomina servat. Unde

Unde apud Prophetas Deus sterilitatem Commi-
natus, salcedinem inducit, Jerem. XVII, 6. Psalm.
CVII, 34. Job. XXXIX, 4. præcipue Deut. XXIX, 23.
Zeph. II, 9.

Qua propter volunt amara salcedine infectam
Jerichuntinam regionem, quæ spes suorum colonum
frustrabatur, neque ad maturitatem fructus vel
messis producebat, secundum Jerichuntinorum que-
relas 2. Reg. II, 19.

Recte Theodoretus in hunc locum quarit, quæ
propter *δι αλιων την πικριαν των υδατων ιασατο φυσικω*. *Na-*
tivam amaritudinem salibus curavit, & Josephus te-
statur, Prophetam ardentibus votis petiisse à Deo,
μαλαξαι το θυμα και γλυκυτερας φλεβας ανοιξαι, *ut leni-*
ret fluentium & dulciores venas aperiret. Hinc sibi
objiciunt Veteres si à sale fluebat illa amaritudo, quæ
infectabat Jerichuntinam regionem, quomodo sale
potuit curari? Sane longe major sali sterilitatem
averuncanti laus accedit, quam decedit ob impeditam
fecunditatem; si quidem illi noxæ remedium exti-
tit, & prævaluit benefica vis, & mira fecunditas.
At contra nativum & proprium virus exeruit, dum
offecit frugiferæ regioni, sed virtuti divinæ miraculo-
sè imperanti cessit, cum profuit, & creatura Creato-
ri morigera sibi ipsi vim fecit, sic solet Deus summus
rerum omnium Dominus iis uti indifferenter, imo
eas quæ magis videntur suo proposito contrariæ præ-
fert, ut in majorem admirationem homines rapiat;
quamobrem Franciscus Valerius de sacra Philosophia
c. 34. postquam scripisset de illo aquarum vitio,
quod videtur rationi consentaneum fuisse salfugi-
nem,

nem, & quia id solet esse frequens in aquis, ex quo quamplurimæ fiunt ad potandum inutiles, & quia id solet omnium maximè sterilitatem asserre, convenienter huic sententiæ affirmat existimandum in illo Eli' ai miraculo, nullam esse habitam naturam rationem, sed esse rem adhibitam prorsus adversam & noxiam, majoris portenti causa. Eadem celeberrimorum Rabinorum sententia. R. David Kimchi in illius expositione miraculi scribit

נִם בְּתָךְ נִם הִיָּה כִי
הַמֶּלֶח עוֹשֶׂה הִיָּה הַמַּיִם רְעִים וְכֵן
וְיוֹמָהוּ עֵץ "אָמְרוּ עֵץ מֵר הִיָּה וְנִם בְּתָךְ נִם:

Miraculum est in miraculo; sal enim aquas facit ingratas & noxias: Sic Exod. XV, 25. Deus Mosi lignum ostendit, scilicet ad reddendas dulces aquas fontis amari: Dicunt quod amarum erat miraculum, nempe in medio miraculo. Rabb. Jarchi iisdem fere verbis eandem exponit sententiam; quapropter nativæ creaturarum proprietates non sunt colligendæ ex effectis extraordinariis, quæ gratiæ opera duntaxat producantur, & omnibus ludibrio essent, qui salı convenire arbitrarentur stupendas vires quas salı consecratio tribuit Alexander I. Pontifex Epistola 1. initio Tom. 1. Concil. Gen. edita 1. his verbis. Si cinis vitule aspersus sanguine populum sanctificabat atq; mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinis precibus sacrata populum sanctificat, atq; mundat, & si sale asperso per Eliseum Prophetam sterilitas aqua sacra est, quanto magis divinis precibus sacratus sterilitatem aufert rerum humanarum

narum & eo inquinatos sanctificat, atq; mundat & expurgat, & cetera bona multiplicat, & insidias Diaboli avertit & à phantasmatis versutiis homines defendit, &c. Sane nisi falsus sit Alexander vel potius Epistola Supposititia ut omnes vel fere omnes veterū Pontificum Epistolæ, mira & incomparabili fecunditate sal polleret, at totam consecrationis efficaciam deberet, nec sterilitati addictum esse desineret.

§. 10. Sed cum alii ei fecunditatem tribuant, *Addita*
 ut Macrobius Saturnal. l. 7. c. 13. *aqua marina* ^{nostra}
ceteris pinguior, & idcirco ad eluendas sordes inepta, ^{sententia de}
ipsique suffragetur Aristoteles testatus esse in salibus ^{hac quæ}
quiddam pingue & quorundam agricolarum stercora- ^{stione,}
tionis vice algam per agros spargentium mos. Nos me-
 diam sententiam amplectemur, defendentes & fecunditatis & sterilitatis usum ipsi competere, quia in naturalibus in recta mensura adhibitum utile, ut in portione injusta, insanum est, ut omnia & ita mystice diverso respectu, significet maledictionem & benedictionem in S. Scriptura ut vidimus §. 9. & hic pluribus exponeremus, si non ad finem properaremus, plus autem in bonam quam malam partem sumitur, ut notum est. Sed nec hoc nostræ sententiæ præjudicat, quod in ruinis urbium adhibebatur, sed eam potius confirmat, nam respectu urbis significabat, illam urbem destructioni destinatam, locumque civibus sterilem esse futurum, sed ratione frumentorum, id fertilitatem non impediēbat, sed potius significabat locum agro destinatum, vide quæ diximus §. 7. & ita Deus quasi rogabatur, ut illum converteret, in locum fertilem frumentis & graminibus aptum. §. 11.

Ulti-
mum u-
su salis
in fœ-
deribus
pangen-
dis, &
notan-
da ami-
icitia.

§. II. Etiam foedera sale confirmabantur, unde phrasis Biblica, *fœdus salis*, id est, firmum & recte initum foedus, Num. XVIII, 19. Unde Sal etiam amicitiae Symbolum fuit apud Veteres; unde natum proverbium *αλα και τραπέζαν μη παραβαίνω. Non esse vidis, & landum sal & mensam.* Significat autem Fidem religiose iis qui ejusdem mensae fuerunt, participes esse servandam, quo spectant haec Calasiris Mystra Aegyptii verba apud Heliodorum c. 4. *σπονδων και τραπέζης κοινωνησαντας και φιλίας αρχην ιερως αλας ποισαμεντες, μη υχη και την πειρι αλληλων γνωσιν εχοντας απελθειν,* „qui ejusdem
„ libationis & mensae fuerunt participes, & sacrum sal
„ amicitiae initium fecerunt non nisi post mutuam re-
„ rum ad eos pertinentium cognitionem discedere à
„ se invicem, & haec Nausidis Aegyptii religiosa obte-
„ statio cap. 6. *προς ζευγων και φιλιων θεων προς αλων και τραπέζης,*
per hospitalitatis & amicitiae Deos per sales & mensam,
quod heic notare dignum est, ut pateat non omnes Aegyptios à sale abhorruisse, ut Plutarchus de Sacerdotibus testatur; Sed ceteros eo etiam religiose usos, vel potius cum tempore antiquum morem immutatum: Nam constat Heliodorum satis diligenter moribus regionum suos collocutores ac commodare, si- miles etiam obtestationes Turcis etiam usitatae teste Duca qui Byzantinae Hist. c. 22. refert Imperatorem Mahometem morti proximum sic egisse cum Bajazeto Vesire; Adjuravit Bajazetem per Deum & per Prophetam eorum *perque panem & sal* quae ei praebuerat, & in eo alendo impenderat, ut fidelem servum erga Moratem filium suum se gereret qualem eum ipse

ipse fuerat expertus. Hinc Moscovitæ inter alia dona suis Regibus in initio regni salem & panem offerunt, eaque Princeps præfert unionibus & pretiosissimis donis, vide Thuan. l. 120. & Lud. à Bavia in 3. part. hist. Pontif. & Catholic. c. 82. Gandavenses, Brugeses, & Antverpiani, foedus inter se contraxerunt cum juramento & antiquo suo more *anem & sa'* comedendi, imo Osseniorum Judaica festa per sal ut quoddam numen jurabat teste Epiphani. de Har. l. 1. har. 19.

§. 12. Cum tantæ sint tamque efficaces salis do-
 tes, ut gratiæ Vires ingenique vividiores foetus de-
 signet, & præsentissimum contra corruptionem præ-
 sidium sit, unde etiam pauperrimi apud Romanos
 in sua mensa sale utebantur, quo alludit Horatius
 lib. 2. Od. 16.

Unde
*usus
 salis in
 mensis
 fluxit,
 & de eo
 opinio.*

*Vivitur parvo benè, cui paternum
 Splendet in mensa tenui salinum.*

Et in Sermonibus.

*Modo mihi sit mensa tripes & concha sa-
 lis puri.*

Plinio etiam observante, pecudes armentaue, & jumenta sale maximè sollicitari ad pastum, multo largiore lacte, multoque gratiore etiam, in caseo do-
 te, vid. lib. 31. c. 7. hist. nat.

Non mirum Romanos convivium non credidisse rectum esse nisi ei adsit *sal*, ita ut mali omninis effect si *sal* profunderetur in mensam, ut contra faustum, si vinum atque id merum effusum sit, videatur

Pancirollus Rerum Memorabilium parte 1. titulo 14.

C

Quale

Quale quid sine dubio etiam fuit apud Græcos, idque ex Hebrais, à quibus hi populi religionem habentes, eam superstitionibus auxerunt, ut illi probant, qui impia scripta, licet docta Spenceri refutarunt; nam notum est Homerum Salem dixisse divinum ut supra vidimus: ex quo factum est Plinium aliosque salis adscripsisse vim prolificam, ni quid nimis, qua de re plura qui cupit, legat Celeberrimi Huetii elegantissimum poemam, de Sale, ad Illustrissimum Montosidem, quod etiam allegat Morinus, atque istiusmodi aliquid esse videretur, quando cogitamus aquarum falsarum fecunditatem, ad quam alludit ipse Deus, Ezech. XLVII, 10. & abstinentiam ut ferunt Ægyptiorum à Sale, ob castitatem ut serent, unde etiam Celeberrimus Theol. Leid. P. M. Hermannus Witsius, in Commentario ad Epistol. Judæ v. 7. 8. dicit Libidinosos illos habere temperamentum falsum, quod iterum Medicis relinquo, ut & quod id à vi ignita salis Authores derivare solent.

Mysterium salis, illustrato loco, Matth. V. 13. §. 13. Vidimus satis huc usque magnam æstimationem salis, atque hujus originem esse Deum O. M., qui in lege Ceremoniali Typica, hunc sibi apponi voluit, melle porhibito Levit. II, 11. quod tamen laudavit, quando terram Canaan inde commendavit, Exod. III, 8. & 17. c. XIII, 5. Lev. XX, 24. Deut. VI, 3. c. IIX, 8. Jos. V, 6. &c. Quare jam sponte sequitur, hoc sal notasse Spiritum Sanctum, sanctificationum sacrificium Jesu Christi & fidelium, nam sacrificia sunt typus sacrificii Christi, & ferta fidelium, qui sunt additamentum, ad sacrificium Jesu Christi, utris-

utrisque, debet accedere Spiritus Sanctus, vide Psal.
 XLV. & CXXXIII. Jes. LXI. & alibi passim; *Spiritus
 Sanctus*, est *Sal*, (1) quia conservat à corruptione pec-
 cati, unde hoc præditi Apostoli, dicuntur, *Sal terra*,
 Matth. V, 13. habent hoc sal in tanta copia, ut etiam
 saliant alios, (2) porro est *sal*, quia *sal* hieroglyphi-
 cè notat sapientiam, unde ipsi Romani, eum *sal* habere
 dicunt, qui acumine ingenii præditus est, ut Livius eo
 sensu Græciam *sal gentium* appellaverit, quando eos
 summa laude afficere vellet, quo sensu etiam iterum
 Apostoli possunt dici (*sal terra*; (3) Spiritus Sanctus
 sterilitatem ex peccato ortam, qua homines non fe-
 runt fructus Deo dignos tollit, & fertiles facit, ad novā
 vitam, quare iterum convenientissimè Apostoli, qui
 terræ incolas miseræ peccati sterilitati deditos Evan-
 gelica cultura fecundarant *sal terra* dicuntur. Eo
 sensu accipitur Col. IV, 6. *sermo vester sit sale conditus*,
 sc. gratiæ Dei, quæ datur per Sp.S. cui opponitur, Eph.
 IV, 29. λογος σαπρος *sermo putridus*, qui sale Sp.S.
 caret, hominum carnalium manifestum indicium, qui
 iis delectantur, quia cor impurum habent; Hoc sal
 illi habere dicuntur, qui accipiunt Sp.S. Marc. IX, 50.
habete sal in vobis, h. e. illam efficacem gratiam quæ à
 peccato servat, & fideles fructuum pœnitentiæ con-
 venientium capaces reddit. (4) *Sal* pungit acriter, ta-
 men, in corpore secundum quosdam dulce fit, ita
 Sp. S. & Apost. eo præditi pungunt veterem homi-
 nem, deinde consolantur. Mystici hujus salis, natu-
 ram ignitam, vide Act. II, 3. *Et visæ sunt illis dispersitæ
 lingue tanquam ignis, sedit quæ supra unumquemque eorum;*
 lege etiam versum 4. C 2. §. 14.

Unde §. 14. Ex quo non difficulter elicitur quid sit *elicitur infatnatio salis*, Matth. V, 13. Marc. IX, 50. &c. nempe quando miscetur aquæ, vel non habet objectum in quod vires suas exerat, *μαρμαθη* autem dicitur, loco quod dicendum esset *αναλον μωεται* vel *αφανισι* quia ibi respectum habet ad sal mysticum, quod proprie, ut sal corporale improprie *infatuari* potest, alludendo etiam ad vocabulum Hebraicum *בַּר*, quod eodem IX, 50. vocabulo Græco æque ac per *αφανισιν* expresserunt &c. LXX. Conf. similem locutionem apud Martial. 13. ep. 13. & eandem vim Hebr. vocabuli *בַּר* quod exstat Ezech. XIII, 10-15. & XXII, 28. Quod ergo hominibus accidit, quando discedit ab ipsis verum sal sapientia & fertilitatis Sp.S., conf. quid Latini de absentia salis dicant, apud eundem Martial. l. 10. ep. 87.

Transf- §. 15. ¶ Sed quid est quod in textu nostro no-
tus ad strum *SAL*, sit *IGNITUM*, & quod dicantur, non tan-
talem tum Apostoli, sed etiam omnes *homines*, secundum
ignitum versionem supra laudatam, *igne salienti*? Nodus vin-
nostri dice dignus, crux Philologorum & Theologorum!
rextus Post antecedentia Philologumena, id dictum non est
Marci IX, 49. difficile, ex quo patet arctissimus Theologia cum
Philologia nexus, huiusque adeo utilitas; quando enim demonstratum est, *Sal sacrum* ceremoniale, non fuisse otiosum, sed operatum fuisse in objectum suum, videmus jam merito id hic cum igne, materia actiuosa conferri posse, unde negamus hic notari *ignem infernale*, quæ plerorumque interpretum sententia fuit, ut in Bibliis Criticis videri potest, quam etiam assumit Cl. Gütlerus noster, Theologus incomparabilis, in

in Lex: Typ. voce *Sal*. Sed potius notavit Sp.S. [quod liceat dicere cum venia Magnorū Theologorum] qui ut *sal* est quemadmodum demonstravimus §. 13. ita etiam non incommodè confertur cum *igne*, hinc in specie ignis descendeat è cœlo Act. II, 3. vide quæ ad illum locum dixi in fine ejusdem paragraphi; Nam 1. *ignis* purificat, ita Sp. S. 1. Cor. 3. 13. 2. *ignis* consumit ita Sp. S., *mel* i. e. pravos affectus, qui homini dulces videntur licet generent ad mortem Rom. II, 6. quam in sententiam notatu digna habet Lud. Capellus, & Hugo Grotius, & ipse etiam Zegeus, cujus verba ipsa statim exscribemus, Sp. S. etiam 3. *ignis* est, quatenus sanctos affectus fovet, ita ut dici possit, Spiritus intus alit, quo uno incalescimus omnes, vide hoc ejus opus præfiguratum Gen. I, 2. quando fovebat abyssum, ut Gallina pullos; vel si velis etiam per ignem poteris intelligere tribulationes, quo sensu accepit, Vatablus, *quemadmodum olim sine sale nulla hostia Deo accepta erat, sic sine tribulatione nemo Deo gratus*, licet connexio maxime favore sententiæ quæ mihi se præ omnibus commendavit, qua Sp. S. consideratur ut SAL IGNITUM oppositè ad Sal Typicum V. T. quo hostiæ & fœta sacrificabantur, ac si dicatur ut sub V. T. nulla oblatio Deo grata, sine sale materiali, ita jam omnes homines qui sunt hostia Spiritualis in Christo, ideo servabuntur à corruptione, mundoq; quia præter sal habent etiã ignem, Christum & Sp. S. vel illum qui animat hostiam Jesu Christi, id est Spiritum quem Verbum Dei cum igne confert, quam phrasin pluribus defenderemus nisi id pro more suo gravissime egisset, illustris Jureconsultus & Theologus supra laudatus H. G. Et

Et huic sententia jam convenire connexionem, patet vel ex ipsis verbis hanc in rem productis à Cl. Zegero, quibus dissertationem hanc claudere animus est, sic ille: *Omnis enim igne salietur,* (nec Græcè nec Latine in vetustis inseritur homo) & *omnis victima sale salietur.* Docuerat modo per metaphoram Truncationis membrorum rescindendos esse pravos cordis affectus, sive homines pestilentes & noxios, omnesq. peccandi occasiones: nunc quo pacto id fiat ac fieri debeat aliis etiam metaphoris demonstrat. Et quia, inquit Beda, tertio mentionem Vermis & Ignis fecerat aeterni, restat dicere quo modo fœtorem vermis & ignis valeamus, evitare tormentum. Sicuti ergo nulla victima veteris legis legitima erat nisi qua vel igni salietur vel sale, Levit. 2. ita quisquis nova legis justitia imbuitur, necesse est ut igni expietur ab omnibus mundanis affectibus, & sale condidatur, ne possit corrumpi malorum contagio. Per SALEM intelligimus Evangelica veritatis acrimoniam emordentem & consumentem quicquid est in nobis obnoxium corruptioni: Per IGNEM Divini Spiritus ardorem primum exurentem quicquid est in homine vitiorum, deinde illuminantem si quid est ignorantia tenebris obvolutum, præterea accendentem & inflammantem, & postremo à terrenis ad cœlestia rapientem, ut nullo jam persecutionum seu tentationum scandalo à semel suscepta fide atque justitia dimoveri valeat quisquis hoc igne fuerit conditus. Cui non repugnat alios intelligere sapientiam Evangelicam, vel gratiam Evangelicam, quia hæc ab eodem

Ufus ad Spiritu proficiscuntur.

pieta-
tatem.

§. 16. Videmus ergo præstantiam divinæ gratiæ, quæ mordet ut sal, sed etiam condit & servat à putre-

putredine peccati, & facit nos fructus ferre in Spiritu, sine hoc sale nemo Deo est gratus, sed omnia opera, etiamsi optima videantur Deo exosa sunt, quia nondum est purificatū fide Act. XV. sine qua impossibile Deo placere Hebr. XI, 6. Imo splendidissima opera peccatum sunt, Rom. XIV, vers. ult. omnia enim sanctificantur in Christo qui est sal nostri ferti, ut enim omnis victima sale salita fuit, ita Christus Sp. S., & nos eodem per Christum, ita ut quemadmodū impii per ignem malæ conscientia, & inferni, ita nos qui nos abnegamus, vide vers. 47. simus igne hoc sacro Spiritus almi, conservandi à corruptione mundi, fruituri, igne gratia in æternum.

Mali ergo quamdiu se non convertunt sunt in igne inferni, conversi autem foventur igne perpetuo ad salutem, hinc ipsis non nocet quod comburent affectus, & abnegent se ipsos, hoc ergo discamus nos ipsos abnegare secundū mandati Christi Matt. XVI, 4. Luc. IX, 23. cujus præcepti latitudinem vide Matt. XIX, 16. ... 30.

§. 17. Quamquam autem sal sit tantæ præstantiæ, *Elen-* tamen absit aliquis cum Pontificiis, cortici inhareat, *ebus* & nimia veneratione salis consecrati afficiatur, de *Pon-* qua vide Concil. Carthag. 3. can. 5. & Augustinum *ficioꝝ* Confess. l. I. c. II. & Hieron. sive Authorem ep. 13. quæ in il- *qui* lius operum Tom. 9. ubi docetur catechumenis dari, *magni-* quam venerationem salis inprimis produnt cum cum *fice ni-* *nis de* immiscent aqua lustrali, quam credunt ad mentis atq; *natura-* corporis conferre sanitatem, & insidias abigere Diaboli, *li sale* expurgare non solum homines, verum etiam res inanimes, senti- *vid.* vid. Steidanum Comment. l. 21. pag. m. 659. quo eo. *unt.* dem sale etiam utuntur in Baptismo ubi consecratum sa- *cri-*

crificus in os infantis imponit, & satanam emigrare jubet, & in aquam ter immergit infantem, & oleo, cui pollicem intingit, pectus & humeros illius illinit. vid. Sleid. ib.

Nam tale quid Christus nunquam mandavit aut Apostoli instituerunt, & nititur opinione qua putant Baptismo tolli peccata ante commissa, quando dicunt *Baptismū, confirmationem, ordinemq; imprimere charactērem indelibilem, propter quem illa non sint iteranda, vid. Bellarm. Tom. III, P. I. C. 18. & d. cujus compendium habes in Ench. Controv. inter Evang. & Pontif. quod in usum Scholæ Steinf. scripsit Conradus Vorstius S. T. D. & ibid. Prof. p. 418. & ref. p. 424. quod vero solum dependet à regeneratione & merito Christi, cujus signū est Baptismus, quo & non alio sensu dicitur *lavacrum regenerationis, Tit. III, 5. conf. Matt. III, 11. Act. I, 5.**

Cessantibus igitur umbris veneremur solum, *salem & ignem mysticum realem, gratiam Jesu Christi & Spiritum ejus. Amen.*

ANNEXA AUCTORIS.

Vox *Barr. Cur recte vertitur immergere. 2. Unde queritur, An ipse quoque Christus aliquando baptisma administravit? Negamus. Ex loco Joh. 4, 2. Jesus ipse non baptizabat. 3. An etiam mulieribus & Laicis permissum sit baptizare? Negamus. 4. An Baptismus etiam contra futura peccata adhibetur? Nos adversus sequentia & futura non minus quam adversus præterita & præsentia servare dicimus. 5. An etiam baptisma administrari possit in privatis aedibus? Affir. sed nequid nimis. 6. An iteratio baptismi sit licita? Neg. 7. An fractio panis in administratione Cænæ Dominicæ sit necessaria? Affir. 8. An etiam sine vino, recte administrari possit Cæna Domini? Neg. contra Pontif. 9. An etiam abstemii & muti ad Cænam D. sine admittendi? Affir. 10. An agrotis, qui publicis interesse cæti- bus, non possunt porrigenda sit Cæna? Affir. sed nequid nimis.*

DOCTISSIMO DOMINO
Respondenti & hunc disputatorium,
Et

Insequentem Examinatorium actum gratulatus posuit.

A	Ejus insani ut canis efferatus Urit, atq; ex corpore diffugatur Succum & vulcania pestis artum Angit inertes.	Quam beatus quem pietatis alma Salque divinus patientiæ ignis Purgat & firmat per amara ad ampla Gaudia Cœli.
----------	--	--

Ecce mentem commodus ignis afflat, Ignis ardoris tuus ille sani, Verba quem Divina notant fideli Semper inesse.	Ipse vero dum salis atque mentis Ignis educis copiam profusam Te docentem isthæc sale madet igne ac Numen exalto.
--	--

Dum doces qui Spiritus, & malorum Turba, quæ sanctos male pene vexant, Et Dei verbum soleant ut ignis Purificare!	Igne discas sic studiosus esse Sanctitatis quo salis usque servet Robur, & cœlestia consequare Donaque terra.
--	--

Quique confermentur ad omne justum
Actionis dum sale præparati
Sanctitatis sint studio corona
Dedita viva.

כדרך רהטא


Anonymus.

Dem Herrn Respondenten setzte folgendes zu ehren ein guetes
Freund. Madrig :

Sich des Geistes Flamm des Worts und Trübsal-Feuer
In uns erregt!
Und selbsten tieffe Wunden uns einprägt;
Dadurch der alte Mensch gemählich wird entkräftet/
Das lückerende Fleisch fein nach und nach entfäffet/
Da ist das Opfer das der Heyland uns so theuer
In seinem Wort befehlet/woh! dem der stand best bleibt!
Den nicht ein leichter Sinn durch Unbestand umtreibt!
Wer klug ist rüffet sich/
Zu leiden williglich/
Zu streiten ritterlich/
Zu siegen ewiglich?

Hier

Hier vest zu fern brauch Sals und Feuer (Gottes Wort)
 Hab Glaub und Geist durch den du siegen
 Wirft / und nicht unter siegen /
 Wie eine Sals Säul vest bestehen hier und dort.
 ΑΥΤΟΧΕΙΡΑΣ.



ΠΡΟΣΦΩΝΗΤΑ

Ad Dn. Respondentem.

DULISONA à nostris dum poscis carmir a Musis,
 Nostra reluctatur barbitos ægra foris.
 Nescire nec tinctum est Charitis, quod tradimus atque
 Id non asperit pegasus imbre suo.
 Sed tamen id libuit nitidis aspergere chartis,
 Irrita poscenti ne tibi vota sient,
 Est igni salendus quirvi, & sale sacra
 Est salienda omnis victima, Clristus ait. [a]
 Nodus inest verbis, nodus, qui vindice dignus,
 Hunc tu conaris solvere mente, manu.
 I, cathedram scandas, ut laurea ferta Camoeræ
 Dent tibi, dent famam, perpetuumque cecus,
 Nam quoties hæc verba viros torlere perito?
 Qui tamen Aonii gloria rara chori.
 Hinc habet iste salem multum, qui solverit illa,
 Hunc non corrumpet tempora Parca secans.
 (a) Marci IX, 49.

ad testandum affectum F.

Abrahamus Stang, V. D. M. & S. H. P.



SAltz ist wohl nicht umsonst mit zu dem Opfer kommen/
 Doch fraget man/warum es G. Ort darzu genommer.
 So ist die Antwort nicht bey allen einerley/
 Ein jeder bringt vor sich/sein' eigne Deutung bey.

3ere

Herr Schütz / hat seines Orts nicht ohne Rubin erwiesen/
 Wie Er mit großem Mut die Bibel kan auffschliessen/
 Und wohl erklären kan / was Salz teym Opferwerk
 Hab eigentlich vor Zweck / und vor ein Angemerck
 Er wird in diesem Stück ein guter Schütz verbleiben/
 Denn Er den Mittelpunct in der Gelehrten Schreiben/
 Das rechte schwarze trifft / so daß es jeder lobt /
 Und Jeder sagen muß : Er sey genug geprobt.

*Hac Domino Respondenti & futuro Candidato
 amico suo dilectissimo apponere volebat.*

J. Koccius S. S. Th. & Philol. Stud.



In honorem, *Doctissimi Domini Candidandi amici singularis.*

UT veniens longa thuris Regione feraci,
 Ad Gnatum Davidis, prudens Regina potentem,
 Ad Gnatum Davidis, qui functo patre superites,
 Sacra Palæstini struxit fundamina templi,
 Larga ferens secum varia quæ munera tradat:
 Et populi pariter Tyrii, qui sceptrâ tenebat,
 Adducens gemmas, & magni ponderis aurum,
 Cum servis, operi dextram qui jungerent illi:
 Utque Magi venere micanti sidere ducti,
 Aurea nascenti fuderunt munera Regi:
 Omnes sic artes, sic Roma, & Græcia, sicq,
 Et sua mollis Arabs affert, & Syria felix.
 Scilicet ut Christum pandant sub tegmine rectum,
 Quod cum demonstras nobis doctissime Schützi
 Ritibus ex variis passim temporibus illis.
 Gratulor inde tibi, Laudes te ac certa manebunt
 Præmia, rite Dei dum perges condere templum.

fecit

CHR. FR. HEUSLING,
 S. S. Th. & Philol. S. Stud. Opp. Ord.

Quis

S Candit Pieridum magno molimine sedem,
Omnibus ostendens jam, munera falsa fuisse.
Schüzius hoc monstrat se sal & mentis habere
Pergas hoc quo pede cepisti currere cursum,
Et certo te multa manebunt sic bona fausta.

In honorem Domini Respondentis fecit

J. F. W. Walther S. S. Theol. & Philol. St.

Quis fuerit Sacri vultus quondam salis usus,
Hac tua nos omnes cum *sale* charta docet.
Hic igitur versus licet haud quicquam salis in se
Contineat, placida respice fronte tamen.

Hac gratulabundus adicere volebat,

Joh. Ad. Uber, Palat. S. S. Theol. & Phil.
Stud.


לשלמים ועולות : לנדרים ונדרות
גאל מפלא פלאת : תקריב מלח סדומית
מים נוזלים חיים מבאר
לכיפור הם אל עם אשר בחר
בה הנדיר חיים
פרנס בקק האנוויא :




76 4688

X 228.4585

MS





B.I.G.

Farbkarte #13

6

DISPUTATIO THEO-
LOGICA SCRIPTURARIA,

Pro
Examine Sancti Ministerii,

De

SALITIONE
Per
IGNEM.

Ad

LOCUM ILLUSTRUM, Marci IX, 49.

πας γαρ πυρι αληθευεται.

Quam S. Θ.

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO DOMINO

HENRICO JACOBO

van BASHVYSEN,

S. S. Th. D. ejusdemque & Philol. Sacræ in Illustr.

Gymn. Hanov. Profeff. Ord.

Regiæ Maj. Boruffiæ Soc. Scient. Berol. Socio, h. t. R. et Magnifico,

Defendet

JOHANNES JUSTUS Schütz/

Hanovienfis, Candidandus, AUCTOR.

Ante diem XI. Julii MDCCLXIV. hora II. Pomeridiana.

In Auditorio Majore.

HANOVIAE, Typis Johannis Jacobi Beaufang, Typographi.